



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XXXV. De imagine in duos articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

forma, propter eandem utroque nomine relationem significatam videtur Aug. ut ait S. D. in a. præc. in resp. ad 5.

Secundo sciendum est, quod quamvis nomen persone diuine significet primò relationem ut subsistentem, ut diximus cum D. Tho. in præc. q. 4. 4. non est tamen necesse, ut omne nomen personale relationem primò significet, sed satis est ut eam importet secundario tanquam proprietatem personalem suppositi, ut aduertit Ferrar. & apparet in hoc nomine Deus genitus, quod nomen est personale: Nec tamen primò significat relationem sed essentialiter in concreto, & secundario relationem per quam ut proprietatem personalem contrahitur nomen illud Deus, quod indeterminatè respicit tria supposita, ad personam hanc scilicet filij determinatè. Vnde etiam S. Thom. in 1. dist. 15. qu. 1. ar. 2. ait nomine missionis importari ex consequenti relationem originis, secundum quam est notionale: sed principaliter eodem nomine ordinem ad effectum missionis, secundum quem missio nomen est essentialiter. Et quamvis ad absolutum, quod primò nomine verbi diuini significatur, consequatur respectus ad creaturas: non tamen sequitur respectum hunc prius nomine verbi significari, quam relationem ad dicentem; tum quia non omne essentialiter præcedit in diuinis notionale; nam quæ dicunt relationem ad creaturas consequentem actionem transeuntem, ut esse dominum, creatorem, gubernatorem, non præintelliguntur relationibus personalibus; tum quia ordo nominis in significando non est alligatus ordini rerum in essendo; potest enim nomen imponi ad primò significandum id quod est posterius natura, vel ordine rerum, & secundario, quod prius est à parte rei: sicut patet de hoc nomine album, & quouis alio nomine accidentis concreto, quod primò significat accedens, secundario verò substantiam importat ut eius subiectum; cum tamen sit in re posterius accedens ipsa substantia. Poterit igitur hoc nomen verbum quod est personale, principaliter essentialiter in Deo significare cum habitudine personali: secundario verò respectum ad creaturas. Quod exprimeret voluit hic S. D. ad 4. dicens: *Nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas.* Quibus verbis satis aperte constat fieri comparisonem, non relationis personalis nomine verbi significatæ ad absolutum eodem nomine significatum: sed ad relationem qua ad creaturas verbo representatas idem nomen importat. Igitur nomen verbi primò significat absolutum, secundò relationem ad dicentem, tertio relationem ad creaturas verbo dictas & exemplatas.

Ex quo deducit S. D. differentiam inter hoc nomen verbum & hoc nomen idea: quod hoc nomen idea cum eo absoluto quod importat est impositum principaliter ad significandum respectum ad creaturam, non autem respectum ad producentem: & ideo pluraliter dicitur in diuinis. Nomen autem verbi, cum absoluto quod primò significat, prius importat respectum ad dicentem quam relationem ad creaturas: & ideo non dicitur in diuinis plura verba, sed vnum tantum, quod est personale.

PRIMA CONCLVS. Nomen verbi communiter sumptum est absolutum.

SECUNDA CONCL. Nomen verbi in diuinis significat principaliter absolutum, & secundario relationem ad dicentem.

TERTIA CONCLVS. Nomen verbi de Deo di-

ctum est absolutum formaliter, & relatum materialiter.

CONTRA secundam & tertiam concl. argum. Cai. & post eum Vasq.

Primò S. Thom. hic ad 4. ait nomen verbi principaliter impositum esse ad significandam relationem ad dicentem; ergo &c. Resp. distinctionem illam principaliter significare comparisonem & ordinem relationis verbi personalis: non ad essentialitatem siue absolutum eodem nomine significatum, sed ad habitudinem ad creaturas nomine verbi connotatam, ut supra diximus.

Secundò sic arguunt S. Thom. in a. 1. huius q. ita loquitur: Verbum, secundum quod proprie dicitur in diuinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in diuinis; eo quod persone distinguuntur secundum origines. Vnde oportet quod nomen verbi, secundum quod proprie in diuinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum. Ergo &c. Resp. nullam esse consequentiam. Nam, sicut ante diximus, ut aliquid sit nomen personale, satis est ut secundario & materialiter significet relationem.

Tertio. In a. præced. docet S. D. verbum esse proprium nomen persone filij, eo quod significat emanationem intellectus: & addit Vasq. quod loquitur de emanatione non formaliter sub ratione emanationis & viæ, sed sub ratione relationis in facto esse: cum hoc eodem sensu dixerit personas distinguere per origines: cum secundum eius sententiam distinguantur per relationes.

Resp. cum Ferrar. verbum dici emanationem terminatiuè, non autem formaliter; ut sit sensus: verbum est aliquid emanans per intellectum, ut ibidem explicat Ferrar.

Quartò arguit Vasq. Non minus nomine verbi exprimitur relatio dicti, quam nomine filij relatio geniti: at nomen filius significat relationem producti per generationem; ergo nomen verbum significat relationem producti per dictionem. Resp. falsum esse antecedens; nam verbi nomine relatio non exprimitur nisi secundario, aut materialiter; nomine verò filij primò & formaliter. Nec S. Thom. negat relationem ad dicentem connotatiuè tantum significari, quicquid dicat Cai.

QVÆSTIO XXXV.

De imagine in duos articulos diuisa.

DEINDE queritur de imagine.

Et circa hoc queruntur duo.

Primò, Vtrum imago in diuinis dicatur personaliter.

Secundò, Vtrum sit proprium filij.

Ratio ordinis.

DE ORDINE huius quæstionis ad præcedentem diximus in principio dista quæstionis præterita. Duos habet articulos hæc quæstio. In primo, supposito ex sacris litteris nomine imaginis in diuinis, querit illius quidditatem & explicat luculenter. In secundo, rationem vocabulo imaginis significatam ad modum proprietatis considerans, querit, an nomen imaginis sit proprium filio?

Conclusio-
nes de du-
sta, & pro-
bata.

ARTICVLVS PRIMVS.

Expositio Textus.

Verum imago in diuinis dicatur personaliter.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod imago non dicatur personaliter in diuinis. Dicit enim Augustinus in libro de fide ad Petrum. Vna est sanctæ trinitatis diuinitas, & imago, ad quam factus est homo. Igitur imago dicitur essentialiter, & non personaliter.

2 Præterea. Hilar. dicit in libro de Syno. quod imago est eius rei, ad quam imaginatur; species indifferens. Sed species, siue forma, in diuinis dicitur essentialiter: ergo & imago.

3 Præterea. Imago ab imitando dicitur in quo importatur prius, & posterius. Sed in diuinis personis nihil est prius, & posterius. Ergo imago non potest esse nomen personale in diuinis.

Sed contra est, quod dicit Augustinus. Quid est absurdius quam imaginem ad se dici? Ergo imago in diuinis relatione dicitur, & sic est nomen personale.

Respondeo. Dicendum, quod de ratione imaginis est similitudo. Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo que est in specie rei, vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim quod diuersorum animalium secundum speciem sunt diuersæ figure, non autem diuersi colores. Vnde si depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit vel figuræ, sed requiritur ad rationem imaginis origo, quia ut Augustinus dicit in libro 83. questionum, vnum ouum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. c. Ad hoc ergo quod verè aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei. Ea verò que processionem siue originem important in diuinis, sunt personalia. Vnde hoc nomen, imago, est nomen personale.

Ad Primum ergo dicendum, quod imago proprie dicitur quod procedit ad similitudinem alterius. Illud autem, ad cuius similitudinem aliquid procedit, proprie dicitur exemplar, improprie verò imago. Sic tamen Augustinus, utitur nomine imaginis, cum dicit, diuinitatem sanctæ Trinitatis esse imaginem, ad quam factus est homo.

Ad Secundum dicendum, quod species (prout ponitur ab Hilar. in diffinitione imaginis) importat formam deductam in aliquo ab alio. Hoc enim modo, imago dicitur esse species alicuius, sicuti id quod assimilatur alicui, dicitur forma eius, in quantum habet formam illi similem.

Ad Tertium dicendum, quod imitatio in diuinis personis non significat posteritatem, sed solam assimilationem.

Forma Textus.

CONC. est: Hoc nomen Imago est nomen personale. Probatur. Ad hoc ut verè aliquid sit imago, requiritur ut ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei; at ea que processionem siue originem important in diuinis, sunt personalia; igitur hoc nomen imago est nomen personale. Maior probatur explicando tres condiciones imaginis in ea positas; ex quibus secunda relinquitur ut nota, tertia declaratur in animalibus & figuris. Prima denique probatur autoritate Augustini, sulta exemplo vnus cui quod alterius non dicitur imago; quia non est de illo expressum.

EX TRIBVS conditionibus in textu positis colligitur hæc imaginis diffinitio: Imago est res similitudinem habens in specie, vel saltem in signo speciei, ex alio expressa. Prima particula, quæ locum habet generis, est res similitudinem habens. Vox illa similitudo duplicem habet significationem; nam proprie & formaliter loquendo significat relationem in vnitatem qualitatis formæ siue naturæ fundatam; quandoque verò ut in proposito sumitur pro vnitatis siue conuenientia formali: cuius multi sunt gradus & differentię; de quibus S. Thom. supra quæst. 4. a. 3.

B Secunda particula est in specie vel saltem in signo speciei: qua duæ significantur imaginis differentię siue gradus in plures, & ipsi distinguibiles: ex quibus imperfectior est hic posterior, qui, ut ait hic S. D. maxime secundum figuram attenditur: dicitur enim Cæsar's imago lapis arte sculptoris incisus solam Cæsar's figuram referens: colore verò & cæteris accidentibus differens; quod si coloris & magnitudinis habuerit vnitatem, multo perfectior erit similitudo & imago: si denique non in sola figura vel externis etiam accidentibus rerum similitudo conuenierit, sed vna alterius quidditatem perfecte repræsentauerit, perfectior adhuc erit earum similitudo: qualis est inter intelligibile verbum mentis, & lapidem, aut hominem eo repræsentatum;

C Vnius enim sunt quidditatis verbum & res verbo repræsentata: & solo differunt essendi modo, ut abundè superius ostendimus quæst. 12. a. 2. cum Caietano. Iam verò longe præstantior est ea similitudo, quæ conuenientia est in eadem specie naturæ, eundem differendi modum habentis: qualem habent in humana natura pater & filius. Ea tamen omnium est absolutissima similitudo, quæ secundum eandem inuenitur numero naturam pluribus hypostasibus communem: quod soli conuenit supersubstantiali personarum Trinitati in vna deitatis natura subsistenti. Vnde supra dicebamus q. 27. eo perfectiorem esse verbi processionem & generationem, quo maior fuerit vnitatis in essentia cum reali distinctione suppositorum. Ex quo

D sequitur similitudinem ad rationem imaginis requisitam non exigere necessariò distinctionem in earum rerum forma, quæ nuncupantur similes: & relationem in eiusdem formæ conuenientia fundatam non oportere esse realem; nam si nulla fuerit realis in fundamento distinctio, non poterunt extrema relationis, id est respectus realiter esse distincta. Quod fit ut relationes similitudinis & æqualitatis in diuinis non sint reales, sed rationis tantum, ut affirmant & probant S. Doct. & Caiet. infra q. 42. Ex quo patet error Durandi negatis in Deo rationem propriæ similitudinis & imaginis: eo quod in Deo non sit distinctio formæ. Iam enim constat perfectissimam rationem similitudinis & imaginis in perfectissima quæ sola numerica est, vnitatis formæ consistere: si tamen supposita, quæ dicuntur similia, realiter sint ab inuicem distincta.

Postrema diffinitionis particula & imaginis conditio est, ut sit ab alio expressa; quæ particula, ut ait Caiet. quem reliqui sequuntur expositores, intelligenda est per se: ita ut similitudo illa, quæ dicitur imago, sit expressionis siue originis terminus, in quantum est similitudo formaliter siue quod idem est res illa, quæ dicitur similis, per se & formaliter producat ut similis, non autem

Propositum, & explicatur diligenter imaginis diffinitio.

1. Particula.

2. Particula.

Gradus & imaginis.

Similitudo & imago perfecta non exigit distinctionem in forma.

3. Particula.

Caiet.

autem

Origo ima-
ginis à quo
fit.

Cuius cor-
poris solus
homo dica-
tur ad ima-
ginem Dei.

Triplex mo-
dus magi-
nis.

Suarez.

Hilarius.

S. Thomas.

Ex diffini-
tione ima-
gis declar-
ata solutio
quatuor di-
fficultates.

autem materialiter tantum & per accidens; alio-
quin Spiritus S. esset aquè perfecta patris & filij
spiratoris imago: cum nulla desit illi conditio
materialiter & per accidens, sed formaliter & per
se tantum intellecta, ut perspicue patet ex dictis
supra q. 27. ar. 4. & latius explicabitur artic. se-
quenti. Circa eandem particulam scito imaginis
expressionem, siue originem intelligendam esse
non à quocunque, sed ab eo cuius est imago: id
verò dupliciter esse potest. Vno modo tanquā
ab agente siue principio actiuo immediate pro-
ducente: & hoc modo procedit imago naturalis
ab eo, cuius est imago, ut filius à Patre per gene-
rationem, ut ab agente immediato producit.
Alio modo originem habet imago ab eo, cuius
est imago, tanquam ab exemplari præconcepto:
& hoc modo res qualibet artificata nuncupatur
imago: non practica conceptionis à qua imme-
diatè producit, sed prototypi per intellectum
apprehensi, quod media conceptione & artificis
voluntate, ad rei similis productionem opera-
tur. Et quoniam res omnis arte producta eadem
ratione similis est ideæ, quæ in intellectu est &
exemplari exterius existenti per ideam siue con-
ceptionem representato: idcirco res arte produ-
cta nonnunquam dicitur imago ideæ mentalis;
quo sensu D. Boetius in lib. de Consolat. de Deo
dixit: *mundum mente gerens similique imagine for-
mans*. Vbi mundum imaginem dicit habere ide-
am existentis in mente diuina, ut etiam aduer-
tit S. Thom. infra q. 93. artic. 2. ad 4. Et quoniam
summum rerum omnium artifex Deus hominem
per intellectum voluntatis decreto determina-
tum produxit similem formaliter, non tantum
ideam in eius mente existentem, sed ipsimet Deo,
prout in suo esse naturali subsistit: ideo natura-
lis illa, quam habet homo diuinitatis imago, non
ad ideam tantum sed etiam ad Deum ipsum se-
cundum eius modum essendi naturalem est refe-
renda: propter quam causam inter ea, quæ cor-
pore constant, solus homo dicitur simpliciter ta-
ctus ad imaginem Dei: cum tamen omnia diuinis
illis idæis & exemplaribus sint simillima: Verbū
autem quod in nobis aut angelis ex re aut quid-
dam cognita producit, imago nuncupatur
obiecti ut supra sæpe diximus, quæst. 27. & ad
imaginem pertinet naturalem: est enim natura-
lis verbi productio & representatio supposita
forma, qua fit intellectus in actu primo potens
actum intellectus elicere.

Ex dictis sequitur primo triplicem esse speciem
siue modum imaginis scilicet naturalem, artifi-
cialem & intellectualem, ut etiam aduertit Sua-
rez lib. 9. de Trin. c. 8.

Sequitur secundo facilis intelligentia diffinitio-
nis imaginis, quam assignat Hilarius in libro de Sy-
nodis dicens: *imago est eius rei, ad quam imaginatur
species indifferens*; quam examinat & explicat S.
D. in 1. dist. 28 q. 2. ar. 1. & breuiter tangit hic in 2.
& eius responsione.

Sequitur tertio ex dictis solutio multarum dif-
ficultatum, quæ in hac materia moueri so-
lent.

Prima difficultas est: An verbum Dei sit vera, pro-
pria, ac naturalis imago Patris? quod pluries affir-
mant sacrae litteræ. Sap. 7. *Splendor est lucis eter-
næ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius*:
quæ verba D. Amb. lib. 1. de fide cap. 4. August.
lib. 7. de Trin. cap. 2. & Hilarius lib. 7. exponunt
de sapientia genita, quam imaginem dicunt nū-
cupari, ob virtutis plenitudinem illi à patre
communicatam. Et ad Coloss. 1. dicitur. *Qui
est imago Dei inuisibilis*; & Heb. 1. *Figura substan-*

tiæ eius. Et Rom. 8. *Conformes fieri imaginis fi-
lij sui*. Diximus autem supra quæst. 27. art. 3. &
4. Verbum ex vi & modo suæ processionis à
patre procedere perfecte simile, non secundum
esse tantum intelligibile, sed etiam secundum ef-
fe naturale; quod idem numero est cum esse pa-
tris. Est igitur eius propria & naturalis imago.

SECUNDA DIFFICULTAS est: An verbum
diuinum sit imago Patris per se primo & formaliter
propter similitudinem representationis in esse intelli-
gibili: an propter unitatem siue convenientiam in es-
sentia? Cuius solutio plane constat ex ante-
dictis. Nam perfectissima similitudo & æquali-
tas addita origine siue expressione passiva, per-
fectissimam constituit rationem imaginis, ut pa-
tet ex D. Tho. in 1. dist. 28. superius allegata. Iam au-
tem diximus in diuinis perfectissimam filij ad
Patrem similitudinem attendi ex unitate siue
conuenientia in vna numero natura deitatis, ut
eodem loco affirmat S. Tho. igitur Dei filius est
imago Patris per se primo & formaliter propter
unitatem essentiae numericæ: secundariò verò
& quasi per accidens propter similitudinem in
esse intelligibili. Et confirmatur; quia perfectis-
simus gradus imaginis in communi loquendo
est secundum similitudinem in esse naturæ: ver-
bum autem quatenus similitudo est in esse intel-
ligibili representans, nullam habet similitudinem
in esse naturæ, sed ea tantum ratione qua intelli-
gibile Dei est esse Dei naturale, quod idem est cum
essentia Dei, ut cumulatè diximus supra quæst. 27.
art. 4. Eandem unitatem apertè docent SS. Pa-
tres exponentes verba illa Apostoli Heb. 1. *Figura
substantiæ eius*; & August. lib. 83. quæst. 74. &
lib. 7. de Trin. cap. 2. & lib. imperfecto super Ge-
nes. ad lit. cap. vlt. & alij quos refert Suarez lib.
9. c. 8.

TERTIA DIFFICULTAS est: An filius dici
possit imago Spiritus sancti & sui & essentia & crea-
turæ? quæ facile soluitur. Nam cum de rati-
one imaginis sit non tantum similitudo quan-
tumuis perfecta, sed etiam origo & realis distin-
ctio ab eo, cuius est imago, impossibile est filiū,
aut sui ipsius, aut alicuius prædictorum imagi-
nem esse. Non enim à se procedit, neque à se
ipso distinguitur: ac proinde nec sibi similis
propriè dici potest. Et quamuis perfectam filius
habeat similitudinem cum Spiritu S. & ex eius
ut obiecti cognitione procedat: non ideo tamē
est eius imago; quia Spiritus S. neque est obie-
ctum motuum, nec aliquo modo principium
illius cognitionis, qua filius à Patre procedit, ut
latè probauimus in vlt. a. q. præced. Porro non
esse filium imaginem deitatis, vel huius Dei præ-
cisus personis, perspicue patet ex dictis: desunt
enim hic duæ præcipuæ & essentielles conditio-
nes ad rationem imaginis necessaria; cum nec
procedat filius à deitate, vel Deo sic sumpto; nec
sit realiter ab eo distinctus, ut veram & propriè
dictam similitudinis & imaginis rationem ad
eum habere possit. Loca verò sacrae Scripturæ
ad Coloss. 1. *qui est imago Dei inuisibilis*. Et Hebr. 1. *Coloss. 1.*
Figura substantiæ eius scilicet Dei, manifestè lo-
quantur de Deo, prout supponit pro persona
patris, ut indicant præcedentia & subsequencia;
& nomen substantiæ idem ibi significat quod
hypostasis, ut habetur in Græco. Quod si filius
non est imago Dei, prout abstractus concipitur
à personis: multo minus erit imago rerum crea-
tarum; cum nec ab illis procedat, nec perfectam
cum eis habeat in esse naturæ similitudinem;
quin potius à verbo creaturæ procedant;
non secundum communem tantum persona-

Dei ratione
similis su-
i imago patris

1

An filius sit
etiam imago
spiritus S.
& essentia,
& creatura
patris

Coloss. 1.

Hebr. 1.

rum in vna deitate potentiam, sed secundum specialem appropriationem; quoniam verbum ex vi suae processionis idææ & exemplaria continet omnium rerum ad earū imitationem productarum; ac proinde non sunt idææ creaturarū imagines, sed exemplaria: & eadem ratione neq; verbum propriè loquendo.

*An filius sit
imago pa-
tris vt pa-
ter est, an
vt Deus est.*

Solutio.

POSTREMA DIFFICULTAS est. Quomodo possit appellari filius imago patris? Ratio dubitandi est; quia vel filius est imago Patris, vt Pater est Deus, aut quatenus Pater est. Non primum, quia filius esset per se primò imago Dei, vt Deus est, & eadem ratione erit imago Spiritus S. sicut & Patris. Non secundum; quoniam similitudo & consequenter imago non attenditur secundum relationes, sicut neque æqualitas aut inæqualitas, vt ait S. D. cum Aug. in d. seq. Solutur autem distinguendo tria ex parte filij. Primum est res, quæ dicitur imago; & hæc est ipsa persona filij. Secundum est ratio, secundum quam dicitur imago, quod alij appellant fundamentum formale relationis perfectæ similitudinis, quam importat imago; & hoc est essentia. Tertium est conditio necessaria ad hoc vt filius verè sit imago Patris; & hæc est originis relatio, per quam distinguitur à Patre, vt ab eo genitus. Quæ tria pariter sunt in persona patris considerata. Primum est res quæ terminus est relationis, quam importat siue connotat nomen imaginis, quæ idem est quod perfecta similitudo: & hæc res est ipsa persona patris. Secundum est ratio siue fundamentum formale dictæ similitudinis: & hæc est essentia siue natura, quæ vna est patris & filij. Tertium est conditio necessaria, vt persona patris sit terminus relationis imaginis respectu filij; & hæc est relatio principij, siue originis actiue, quam nomen patris vel genitoris importat.

Ad rationem igitur dubitandi dico primò, filium esse patris imaginem, quatenus Deus est, prout ea reduplicatione quatenus Deus denotatur ratio siue fundamentum relationis imaginis, quod est deitas vna patris & filij. Dico secundò, filiū esse patris imaginem vt Deus est, non absolute sed cum relatione principij, quæ nomine Patris siue genitoris formaliter significatur. Dico tertio, filium esse imaginem Patris vt Pater est, quatenus dictio pater, significat suppositum relatione & essentia constitutum terminans relationem imaginis. Dico quartò, filium non esse patris imaginem quatenus pater est, si dictio pater, significat rationem siue fundamentum relationis imaginis formale, sed tantum prout denotat conditionem in termino talis relationis necessariam.

Suar. expositio.

In responsione ad primum aduerte Suar. in d. lib. 9. cap. 9. num. 11. alio modo interpretari verba Augustini, vt non significant diuinitatem esse hominis imaginem; sed ipsum hominem esse ad imaginem deitatis; adeo vt particula illa, ad quæ scilicet imaginem, non significet exemplar ex parte Dei, ad cuius imitationem factus est homo, vt exponit S. Thom. sed potius significet eam imaginem, quæ est in homine; quæ non dicitur simpliciter imago, sed quasi imago seu ad imaginem; quia imperfecta est; quam imperfectam imaginem docet Aug. vnam esse totius sanctæ Trinitatis, sicut vna est essentia trium personarum. Sed exorta videtur hæc expositio; quoniam absolute dicit August. vnam esse sanctæ Trinitatis imaginem; constat autem solum hominem non esse SS. Trinitatis imaginem, sed etiam Angelum. Sequenda est igitur plana S. D. expositio. Verum, quia sensum hunc suspicando pro-

Confutatio.

ducit vt probabilem, non excludendo interpretationem D. Thomæ: sua permittimus illi probabili suspitione gaudere.

Diffinitionem Hilarij positam in secundo argumento explicat S. D. in 1. loco superius allegato.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum nomen imaginis sit proprium Filio.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod nomen imaginis non sit proprium filio. Quia, vt dicit * Damascenus. Spiritus sanctus est imago filij. Nō est ergo proprium filij.

2. Præterea. De ratione imaginis est similitudo cū expresse (vt Aug. dicit in 1. lib. 83. questionum.) fin. Sed hoc conuenit spiritui sancto. procedit enim ab alio secundum modum similitudinis. Ergo Spiritus sanctus est imago, & ita nō est propriū filij, quod sit imago. 3. Præterea. Homo etiam dicitur imago Dei, secundum illud primo ad Corint. 2. Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est. Ergo non est proprium filio.

Sed contra est, quod Aug. dicit * 7. de Trin. quod solus filius est imago patris.

Respond. Dicendum, quod Doctores Græcorum communiter dicunt Spiritum sanctum esse imaginem patris, & filij. Sed Doctores Latini soli filio attribunt nomen imaginis. Non enim inuenitur in canonica scriptura, nisi de filio. Dicitur enim Coloss. 1. Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus creaturæ, & ad Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Huius autem rationem assignant quidam ex hoc, quod filius conuenit cum patre, non solum in natura, sed etiam in notione principij: spiritus autem sanctus non conuenit cum filio, nec cum patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere; quia sicut secundum relationes non attenditur in diuinis, neque æqualitas, neque inæqualitas (vt August. * dicit) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis. Vnde alij dicunt quod spiritus sanctus non potest dici imago filij, quia imaginis non est imago; neque etiam imago patris: quia etiam imago refertur immediate ad ill, cuius est imago: spiritus sanctus autem refertur ad patrem per filium. Neque etiam est imago patris, & filij, quia sic esset vna imago duorum, quod videtur impossibile. Vnde relinquitur, quod spiritus sanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est, quia pater & filius sunt vnum principium d. spiritus sanctus vt infra * dicitur. Vnde nihil prohibet sic patris, & filij (in quantum sunt vnum) esse vnam imaginem, cum etiam homo totius Trinitatis sit vna imago.

Et ideo aliter dicendum est, quod sicut spiritus sanctus quamuis sua processione accipiat naturam patris, sicut & filius, non tamen dicitur natus: ita licet accipiat speciem similem patris, non dicitur imago: quia filius procedit vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris: quamuis hoc conueniat amoris: qui est spiritus sanctus in quantum est amor diuinus.

Ad Primum ergo dicendum, quod Damascenus & alij Doctores Græcorum communiter vtuntur nomine imaginis, pro perfecta similitudine. Ad Secundum dicendum, quod licet spiritus sanctus sit similis patri, & filio, non tamen sequitur, quod sit imago ratione * iam dicta.

Ad Tertium dicendum, quod imago alicuius dupliciter in aliquo inuenitur. Vno modo, in re eiusdem naturæ secundum speciem, vt imago Regis inuenitur in filio suo. Alio modo, in re alterius naturæ, sicut imago Regis inuenitur in denario. Primum autem modo

193.
1. dif. 18. q. 1.
3. art. 3. Et
di. 31. q. 3.
a. 1. cor. 28.
Heb. 1.1. a.
fin.
* Li. 1. orth.
fid. c. 18.
† Li. 83. q. 4.
73. in fi. cor.
74. in pri.
tom. 4.

Lib. 6. cor. 7.
de trin. c. 1.
tom. 3.

931.

Li. 6. den.
c. 4. in fi.
Et lib. 5. c. 4.
6. a. med.
tom. 3.

D. 1134.
2. 36. art. 4.

In cor. art.

modo

modo filius est imago patris: secundo autem modo dicitur homo imago Dei, & ideo ad designandum in homine imperfectionem imaginis; homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed de filio Dei non potest dici quod sit ad imaginem, quia est perfecta patris imago.

Sensus quaestii.

PROPONITUR hoc quaesitum aduersus Graecos nomen imaginis attribuentes etiam Spiritui S. ut patet. Et quaestio est non tantum de nomine & ratione imaginis, an sit propria filio; sed etiam de causa, ut patet in textu.

Forma Textus.

PRIMO refertur opinio & usus Doctorum Graecorum dicentium Spiritum sanctum esse imaginem Patris & Filij. Secundo proponitur **CONCL.** ex sententia Latinorum Doctorum. *Soli filio nomen imaginis est attribuendum;* Asserturque simul eius fundamentum ex sacris litteris *Coloss. 1. & Hebr. 1.* quo valide confutatur opinio Graecorum. Tertiò referuntur & reijciuntur duae opiniones circa causam conclusionis huius sententiae & usus Latinorum. *Prima est eorum, qui dicebant ideo soli filio tribui nomen imaginis, quia filius conuenit cum patre, non solum in natura sed etiam in notione principij: at verò Spiritus sanctus non conuenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione. Quam sententiam S. D. reijcit hoc argumento. Ad rationem imaginis requiritur similitudo; at hæc non attenditur secundum relationes in diuinis; ergo nec imago. Minor probatur, quia secundum relationes non attenditur in diuinis aequalitas neque inaequalitas, ut ait Augustinus; ergo nec similitudo. Secunda opinio est dicentium Spiritum sanctum non posse dici imaginem filij, quia imaginis non est imago; neque etiam dici posse imaginem patris; quia imago refertur immediate ad id, cuius est imago; Spiritus sanctus autem refertur ad Patrem per filium. Denique non posse esse imaginem Patris simul & filij, quia sic esset una imago duorum; quod videtur impossibile; igitur Spiritus sanctus nullo modo est imago. Confutatio huius opinionis est. Pater & filius sunt unum principium Spiritus sancti; igitur eorum quatenus sic unum sunt, nihil prohibet esse unam imaginem. Probatur sequelas quia homo est una totius Trinitatis imago.*

Postremo sic probatur conclusio. Filius procedit ut verbum, de cuius ratione est similitudo speciei, ad id à quo procedit; Spiritus verò sanctus procedit ut amor, de cuius ratione non est talis similitudo; ergo soli filio attribuendum est nomen imaginis. Antecedens probatum est *supra quaest. 27. art. 3. & 4.* Consequentia patet ex præcipua conditione imaginis supra declarata. Confirmatur vis argumenti ex alia simili differentia inter Filium & Spiritum sanctum orta ex simili causa; quia Spiritus sanctus, quamuis sua processione naturam patris accipiat sicut & filius, non tamen dicitur natus, propter differentem modum procedendi; ergo licet accipiat speciem similem patri, non dicitur imago propter eandem differentiam modi procedendi.

Denique satisfat obiectioni tacite quaerentis, quia ratione conueniat Spiritui sancto specifica similitudo ad Patrem & filium, dicens hanc illi

competere, quatenus est amor diuinus; non autem ex modo & vi suae processionis formaliter.

Expositio Textus.

CONCL. huius articuli muniunt ex recentioribus Zumel. Vasq. cap. 2. & Suarez lib. 21. de Trinitate c. 6. autoritatibus Concilij Ephesi. Augusti. Athan. Hilarij, Nazian. Cyrilli & aliorum, quorum dicta lege apud prædictos expositores, si placet.

Aduerte praeterea, propositionem illam negatiuam; Spiritus sanct. non est imago, non posse directe ac positue probari per verba sacrarum litterarum; sicut probata est hæc, Filius est imago; sed hoc ipsum, quod scripturae diuinae filium appellant imaginem, non autem Spiritum S. non leue est argumentum aduersus opinionem Graecorum pro conclusione praesentis articuli, quae est sententia Latinorum: quorum interpretatio ea firma ratione fulta, quam affert S. D. in textu, irrefragabile construit argumentum. Adde Dionys. in principio de diuinis nominibus ita dicentem; Vniuersaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de super substantiali diuinitate, praeter ea, quae diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa.

Tertiò scind Graecorum & Latinorum dissidiū de nomine imaginis, quo ad personam Spiritus S. non esse de re, sed de vocabulo tantum: quamuis fortassis ex utraque parte multi crediderint se non voce tantum, sed re ipsa ab opposita sententia dissentire. Affirmabatur enim Graeci Patres Spiritum S. imaginem esse patris & filij, ea tantum ratione; quia scilicet procedit in unitate perfecta naturae: quamuis unitatem hanc naturae non habeat ex modo & vi suae processionis formaliter. Minus itaque proprie loquuti sunt. Et in eodem sensu cum Graecis consentit Caiet. exponens illa verba *Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae eius: ubi tribuit Spiritui sancto nomen imaginis.* Atque ita Graecorum & aliorum quorundam dicta esse interpretanda recte docent recentiores *super hoc articulo, & praefertim Zumel. Vasq. c. 2. & Suar. in d. c. 6. quod antea significauerat Iauellus.*

Quarto obserua primam & secundam rationem, quo ad postremam eius partem, quibus assignatur causa conclusionis, & sententiae Latinorum, esse D. Bonau. in 1. dist. 31. in 2. parte distinctionis, a. 1. q. 2. qui primam rationem accepit à Richardo de S. Victore lib. 6. de Trin. c. 19. 20. & 21.

Postremo nota D. Thom. non refutare duas illas rationes tactas in secunda opinione. Prior verò est illa; quia imaginis non est imago. Posterior verò est illa; quia imago refertur immediate ad id, cuius est imago: Spiritus S. autem refertur ad patrem per filium. Nam etsi minus videantur efficaces, aliquo tamen modo probant intentum: licet enim dici possit imaginem naturalem per se subsistentem admittere imaginem etiam naturalem: verum tamen est imaginis, quae per se primò imago est, quale est verbum Dei; non esse aliam per se primò imaginem; quamuis possit aliud esse suppositum simile, & idem in natura. Et quamuis dici possit Spiritum sanctum non mediatè solum ad Patrem referri scilicet mediatè filio, sed immediate, quatenus pater per se ipsum etiam immediate spirat, ut ait S. D. in seq. q. 4. 3. ad 1. id tamen quod est imago per se primò, non nisi immediate refertur ad id, cuius est imago. At verò & est alterius imago naturalis, necess-

Latini, & Graeci sola voce dissent.

Caiet. cum Graecis. Heb. 1.

necessariò ac per se primò illius est imago; hæc A
est enim eius natura, vt sit imago; igitur si Spiritus S. per se primò non est imago patris aut filij
vel vtriusq; neutrius erit imago naturalis, quod
si imago naturalis non est: consequens est vt nulla
ratione sit imago.

CONTROVERSIA VNICA.

De efficacia rationis Diui Thomæ.

Sententia
Doctorem

VARIÆ à Doctoribus afferuntur rationes
ad probandam huius articuli conclusionē,
scilicet nomen & rationem imaginis soli filio
conuenire; quas referunt & confutant Vasq. cap.
4. & Suarez in dicto cap. 6. Igitur Vasquez cap. 5.
reiecit ratione D. Thom. sentit hac vna ratione
conclusionem efficaciter posse probari. Imago
est similitudo expressa ad representandum id
cuius est imago: at Spiritus S. nullum repræsentat
eorum, à quibus procedit; ergo &c. Maiorem,
quam accepit ex Canariensi, probat quibusdam
argumentis supra solutis q. 27. art. 4. controu. 1.
Minorem autem sic deducit: Si Spiritus sanctus
aliquem repræsentaret, deberet eum repræsentare
alicui intelligenti; nulli autem repræsentat;
quia nec patri, nec filio; cum neuter seipsum in-
telligat Spiritu S. neque tanquam termino, ne-
que tanquam forma sue intellectiōis; nec re-
præsentat sibi ipsi, nisi quatenus essentiali intel-
lectiōe, quæ est sui ipsius essentia, cognoscit se,
& alias personas in se ipso; nec repræsentat alicui
intellectui creato; non viatori, vt perspicuum
est: non videnti Deum sicuti est. nam qui tres
personas clarè intuetur, non videt vnā, quia in
alia repræsentetur, sed omnes eque primò intue-
tur; ergo nulli intellectui Spiritus sanctus repræ-
sentat, nec repræsentare potest: igitur nec alicuius
imago est.

Aureolus rationem hanc ex littera D. Th. sic
impugnat. Spiritus S. procedit vt amor diuinus;
ergo vt similis; ergo ratio adducta nihil valet.
Prima consequentia probatur ex textu dicente
conuenire amori, qui est Spiritus S. vt sit similis
in specie, in quantum est amor diuinus. Secun-
da verò consequentia & antecedens sunt euidētia.

Alij expositores communiter approbant &
tuentur rationem D. Th. vt omnium optimam
quam etiam complectitur in substantia Suarez
lib. 9. de Trinitate cap. vlt. in fine quamuis illa quā
affert, prima facie diuersa videatur.

RESOLUTIO. proposita difficultate fundamenta sunt ea, quæ
supra iecimus, quæst. 27. art. 4. in 1. controu. Hic
tantum explicanda est paulò diligentius doctrina
Cai. cuius minimè facilis est intelligentia.

Sciendum est itaque primò, communem aliquā
rationem, siue formam generico aut proportio-
nali, siue analogico conceptu apprehensam pos-
se diuidi & contrahi per duo differentiarum si-
ue modorum genera; ac proinde posse dupliciter
à contrahente denominari; potest enim quali-
bet ratio siue natura generica primò diuidi per
differentias per se, quæ scilicet naturam illam va-
riant & distinguunt infra latitudinem propriæ
rationis formalis, & ad eandem naturam perti-
nent, vt eius formales intrinsecæ & essentielles
denominationes. Dico essentielles non naturæ ge-
nericæ præcisè & abstractè sumptæ, sed prout est
siue participatur in hac & illa specie directè sub-
tali genere sumpta: sicut album & nigrum diffe-
rentiæ sunt per se distinctiua coloris; quia nimirū
coloris naturam distinguunt infra latitudinem

rationis formalis coloris, & intrinsecæ denomi-
nationes sunt naturæ coloris ad eius essentiam
pertinentes, prout est siue participatur in hac &
illa specie. Nam ratio albi siue disgregatiui ratio
quædam formaliter est coloris & visibilis, vt sic
à qualibet ratione formali cuiusuis alterius ge-
neris omnino distincta & ab ea prorsus extra-
nea. Quo fit vt singula genera proprias habeant
differentias ad ambitum rationis eius formalis i-
ta pertinentes, & cum eius natura speciem con-
stituunt, vt cum alterius generis natura nulla
ratione valeant conuenire ad vnā aliquam spe-
ciem vel vnum aliquid per se quouis modo con-
stituendum, ob dictam causam; quia scilicet ab
eius ratione formali sunt extraneæ. Vnde
album & nigrum, quæ respectu coloris sunt dif-
ferentiæ per se, si comparantur ad animal, sunt
differentiæ per accidens; & cum animalitate
nullam speciem aut vnum aliquid ens per se cō-
stituunt, sed vnum tantum per accidens. Ratio
prædictorum omnium est: quia differentia su-
mitur à forma rei constitutiva, vt in rebus com-
positis; vel ab ipsa rei natura seu quidditate quo
ad rationem siue gradum actualitatis in ea con-
ceptum, vt in simplicibus, prout latè superius
explicauimus q. 3. a. 5. in 1. controu. Necesse est
itaque differentias per se ad rationem formalem
naturæ genericæ pertinere, non vt abstractè cō-
cipitur, sed prout ad totam specierum partici-
pantium latitudinem consideratur extensa, &
esse determinationes eius intrinsecas, & in eius
essentia, vt in singulis est participantibus inclu-
di. Vnde Aristot. in 7. metaph. tex. 43. scissione
pedis, quam vt differentiam pedis per se diuisi-
uam constituit, quandam dixit esse pedalitatem;
& ostendens quomodo ex genere & differentia
fiat vnum per se, ait genus non esse præter eas
quæ sunt generis species; & in vltima differentia
tam genus, quàm superiores per se differentias
includi, vt ibidem exponit S. Thom. quod dif-
ferentijs per accidens minimè congruit; nulla
enim earum alteram aut genus includit, vt ibi-
dem ait Philosophus. Potest igitur secundò di-
uidi natura generica per differentias per accidens;

vt si diuidatur color in naturalem & artificialem,
sunt enim natura & ars extra genus coloris; cum
nec in eo aut aliqua eius per se differentia clau-
dantur; aut ipsum vel eius aliquam differentiam
includant explicite aut implicite, vt de se patet.
Et hæc doctrina proportionaliter applicanda
est ad modos communis analogi diuini. Qui
plura videre desiderat de modo & arte diuiden-
di per differentias per se, legat Arist. in primo de
partibus animalium c. 2. & 3.

Secundò iuxta prædicta notandum est, amorem
dupliciter posse distinguere. Vno modo per diffe-
rentias per se amoris, quatenus amor. Et quoniam
amor impulsio quædam est: necesse est omnes
differentias amoris per se diuinas esse impulsio-
nis per se diuersificatiuas; & hoc modo diuidi-
tur amor in amorem amicitia, & in amorem cō-
cupiscentiæ: quæ duæ differentia amicitia scili-
cet & concupiscentia impulsiones quædam sunt
inter se diuersæ, vt patet ex 1. 2. q. 28. & ex su-
pradictis q. 27. a. 3. controu. 1. & a. 4. controu. et-
iam 1. Secundò diuidi potest amor per diffe-
rentias per accidens siue extraneas amoris vt
amor est; & sic multipliciter diuidi potest, & in
re proposita distinguitur per subiecta, siue per
naturas amantium scilicet humanam, angelicam
& diuinā: & dicitur triplex amor scilicet huma-
nus, Angelicus & diuinus.

Tertio considerandum est amorem siue impul-
sum,

Differentia
per accidens

Amoris per
se differens

Amoris dif-
ferentia per
accidens

Resolutio.
Distingui-
tur, & ex-
plicatur a-
moris diffe-
rentia per
se, & per
accidens; &
aperitur si-
ne duarum
propositio-
nū; & sic
sunt quæ-
stio.
Quæ sunt dif-
ferentia per
se.

Amor ut
sic non pro-
cedit ut si-
milis.

sum, & differentias per se impulsionis & amoris A
ut sic nihil habere commune formaliter cum ra-
tione similis in quantum simile; sed ab eo & eius
per se differentijs longè distare; diuersorum e-
nim generum & non subalternatim positorum,
qualia sunt amor & simile, diuersæ sunt species
& differentia. Quod igitur procedit ut amor
formaliter, quantacunque sit perfectionis etiam
infinite, nunquam procedet ut simile formaliter,
quatenus amor est. Nam quod procedit ut
amor, procedit ut impulsus; cuius nulla per se
differentia rationem habet formaliter similis; &
consequenter neque etiam imaginis, quæ simili-
tudo quædam est. Differentia verò amoris di-
uinitatis per accidens, similis quandoque ratione
habere permittuntur: quales sunt iam dictæ, quæ
per amantium naturas amorem distinguunt. Di-
xi permittuntur quia non oēs, sed vna tantum earum
similitudinis siue similis rationem habet: hæc verò
est diuinitas, quæ amori procedenti in iden-
titate coniuncta similem illum facit principio à
quo procedit: est enim amor diuinus, siue Deus
amor ab amante diuino, siue ab amante Deo. Ve-
rum hæc similitudo, cum non inest amori, ut a-
mor est, ex propria. s. & per se differentia, sed
ex tali subiecto siue natura, quæ est amoris ex-
tranea differentia, non conuenit amori per se, &
formaliter ut amor est, sed per accidens tantum
& materialiter ac identicè; quia scilicet idem est
cum natura diuina, quæ vna est amoris spirati &
spiratoris.

Prima pro-
positio. Hæc itaque propositio: *amor diuinus procedit
ut similis*, dupliciter potest intelligi. Vno modo
sumendo amorem ut amor est formaliter, quo
ad eius per se differentiam: ita ut dictio illa, *di-
uinus*, sumatur formaliter & denotet solum amā-
tem & obiectum amoris: & sic falsa est dicta pro-
positio ob supradictam causam; quia scilicet a-
mor, ex proprijs & per se differentijs nullam ha-
bet rationem similis. Alio modo potest intelligi
sumendo amorem pro ut diuinus est, non tan-
tum formaliter, sed etiam identicè, quatenus sci-
licet dictio illa *diuinus*, denominatio est amoris
sumpta ab extranea vel quasi extranea differen-
tia scilicet natura diuina cui identificatur: & in
hoc sensu vera est propositio, ut affirmat S. D.
in textu. Et quamuis propositio sit aliquo mo-
do formalis quo ad significatum illa dictione *di-
uinus*: non est tamen simpliciter & absolute for-
malis sed identica propriè & materialis: quia cū
de amore diuino, angelico vel humano formaliter
loquimur, & de eo aliquid prædicamus, ser-
mo semper est de amore, ut amor est quo ad ali-
quam eius per se differentiam nisi aliud expri-
matur. Iam autem diximus nullam amoris per
se differentiam habere rationem similis forma-
liter, sed materialiter tantum, quatenus. s. idem
est cum tali natura puta diuina.

Secunda pro-
positio. Postremò in illa propositione, *Spiritus sanctus
procedit ut amor diuinus*, aduerte duo. Primum est,
dictionem illam ut denotare siue specificare mo-
dum processioneis Spiritus S. potest verò modus
processioneis Spiritus S. per dictam particulam
dupliciter denotari: Vno modo quo ad propria
tantum & formalia illius modi procedendi, quæ
scilicet pertinent ad amorem & impulsionem ut
sic. Alio modo quo ad communia id est essen-
tialia & concomitantia modum procedendi siue
terminum processioneis: hæc verò sunt, quod
processio illa sit esse & essentia Dei; quod amor
ille sit subsistens, sit idem quod Deus, sit similis
& æqualis producenti; & consequenter omnem

aliam habens perfectionem Deo congruentem
& tribus communem. Secundum est dictionem
illam *diuinus* dupliciter sumi posse. Vno modo
identicè id est prout significat identitatem amo-
ris cum Deo, ac si dictum esset, amor qui Deus
est. Alio modo formaliter, ut scilicet deno-
tet tantum principium & obiectum amoris,
quod Deus est. Cum itaque dicitur Spiritus
S. procedit ut amor diuinus: si dictio illa ut de-
notet modum processioneis quo ad propria tan-
tum & formalia modi processioneis Spiritus S. &
dictio illa *diuinus* sumatur identicè, sit sensus;
Spiritus S. procedit ut amor diuinus, id est Spi-
ritus S. ex vi & modo proprio suæ processioneis,
B prout scilicet est processio amoris ut sic, habet
quod procedat ut Deus; quæ propositio falsa est,
ut patet ex dictis in hac, & in prædicta. 1. controu. 4.
q. 22. Nam, ut hic ait Caiet. non habet Spiritus
S. ut sit Deus ex proprijs processioneis amoris et-
iam diuini, stando infra latitudinem solius vo-
luntatis & modi processioneis illius; sed hoc tan-
tum habet, ut sit amor Dei tanquam amantis, &
amati; & consequenter est vera propositio su-
mendo amorem diuinum formaliter. Si verò
dictio illa ut denotet etiam communia tri-
bus personis & concomitantia modum procedē-
di, vel terminum processioneis, quocunque modo
sumatur dictio illa *diuinus* vera est propositio, ut
perspicue patet ex dictis: & consequenter Spiritus
S. in eo sensu procedit ut similis; & eodem mo-
do distinguendum & iudicandum est de simili-
bus alijs propositionibus. Et quoniam dicta pro-
positio à Theologis accipitur, ut exprimit prop-
ria & formalia modi procedendi: & sumitur a-
mor diuinus formaliter; idcirco absolute vera
est. Nec tamen sequitur: ergo Spiritus S. proce-
dit ut similis, ut etiam ostendimus.

PRIMA CONCL. Nomen imaginis esse propriū
filijs nulla melius ratione probatur, quam argumento S.
D. in textu.

SECUNDA CONCL. Probatio Vasquesij inu-
tilis est & vana. Hæc conclusio probata fuit supra
in allegata Controuersia: & probat eam Suarez in
supra dicto libro 9. capit. ultimo, numero decimo, &
sequentibus.

TERTIA CONCL. Hæc propositio, Spiritus S.
vel amor diuinus procedit ut similis, propriè &
formaliter accepta falsa est, materialiter autem & i-
dentice vera.

QUARTA CONCL. Hæc propositio, Spiritus S.
procedit ut amor diuinus, propriè & formaliter in-
tellecta vera est, improprie autem falsa.

CONTRA primam concl. est argum. Aur su-
pra notatum. Resp. cum Caiet. falsam esse primam
consequentiam. Ad probationem dico D. Th.
loqui de amore diuino identicè, & non tantum
effectiue & obiectiue siue formaliter, quomodo
procederet probatio consequentiæ.

CONTRA eandem concl. producant Vasq.
& Suar. nonnulla argumenta, quæ soluta sunt in
dicta. 1. controu. q. 21. a. 1.

CONTRA secundam concl. est argum. Vasq. Obi. contr. 2.
supra cum eius opinione relatum. Cui responde-
mus primò falsam esse maiorem quo ad particu-
lam illam ad representandum, ut probatum est
in dicta controu. Secundo dici potest idem esse
procedere ad representandum, & procedere ut
simile; & in hoc sensu vera esset maior. Ad mi-
norem autē dicimus eā non rectè probari. Nam
Spiritus S. ut eandem habet cū spiratore naturā,
in qua relucet vniuersa ut in obiecto ad qua-
ta di-

conclusio-
nes deduc-
tæ, & pro-
bate.

suarez.

Obi. contr. 1.
concl.
soluit.

Obi. contr. 2.
concl.
soluit.

to diuini intellectus, se ipsum & omnia sibi & alijs personis obiectiue representat. Nec tamen sequitur patrem & filium intelligere Spiritu sancto tanquam forma aut termino intellectiōis: sed intelligere seipsum in Spiritu sancto ut reproducta, in qua sunt pater & filius per vnitatem essentia, & per originem ac relationem. Reliqua ad huius argumenti cōfutationem necessaria videat lector in dicta nostra controuersia, & apud Suar. in allegato ultimo cap. lib. 9.

QVAESTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

Post considerationem praedictam, considerandum est de his, quae pertinent ad personam Spiritus sancti: qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor & donum Dei.

Circa Spiritum sanctum, ergo quaruntur quatuor.

Primo. Vtrum hoc nomen Spiritus sancti, sit proprium alicuius diuinae personae.

Secundo. Vtrum illa persona diuina, quae Spiritus sancti, dicitur, procedat à patre, & filio.

Tertio. Vtrum procedat à patre per filium.

Quarto. Vtrum pater & filius sint vni principium Spiritus sancti.

Ratio ordinis huius questionis, & articulorum eius inter se.

HAEC est tertia pars tractatus de personis in particulari, in qua disserit S. D. de tertia in Trinitate persona, quae est Spiritus S. cui tria conueniunt nomina. Primum est, Spiritus S. secundum est amor: tertium est donum; de quibus agit S. Th. eo ordine, quo proposita sunt. Nam Spiritus S. nomen est in sacris litteris vulgatissimum, & ceteris omnibus prima sui significatione communius, non solum quia tribus cōuenit, ut ex Augustin. dicit auctor in textu: sed etiam quia nomen spiritus ex propria significatione impulsionem, & rem nihil aut parum habentem de materia significat; quae longè cōmuniōr est, quàm amor & donum. Ratio autem amoris naturaliter prior est ratione doni; quia donum respectum connotat ad creaturam, cui donatur; qui sequitur rationem amoris in Deo, qui est prima ratio donationis.

Quatuor habet articulos haec quaestio. in Primo tractatur quid nominis Spiritus S. In secundo examinatur quid rei, quo ad radicem propriam personalis eius distinctionis à filio, quae est processio. In tertio agitur de modo processionis eiusdem Spiritus S. in ordine ad Patrem & Filium: non tantum simpliciter, sed praecipue ut exprimitur per propositiones. In ultimo articulo versat difficultatem cōsequentem determinationes secundi & tertij articuli, in quibus concluditur Spiritum S. procedere à Patre & filio, & à Patre per filium: ex quibus emergit dubitatio, an pater & filius vere sint & dici debeant vnum principium Spiritus S. an magis duo?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium nomen alicuius diuinae personae.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen Spiritus sanctus, non sit proprium nomen

alicuius diuinae personae. Nullum enim nomen commune tribus personis est proprium alicuius personae: sed hoc nomen Spiritus sancti, est commune tribus personis. Ostendit enim Hilari. 8. de Trinit. in spiritu Dei, aliquando significari patrem, ut cum dicitur, spiritus Domini super me. Aliquando significari filium, ut cum dicitur filius: In spiritu Dei eicio demonia, natura sua potestate eicere se demonia demonstrans. Aliquando de Spiritu sancti. ut ibi, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ergo hoc nomen Spiritus sancti, non est proprium alicuius diuinae personae.

2 Praeterea. Nomina diuinarum personarum ad aliquid dicuntur, ut Boetius dicit in lib. 4. de Trin. sed hoc nomen Spiritus sanctus, non dicitur ad aliquid. Ergo hoc nomen non est proprium diuinae personae.

3 Prat. Quia filius est nomen alicuius diuinae personae, non potest dici filius huius, vel illius. Dicitur autem spiritus huius, vel illius hominis. ut enim habetur Num. 11. dixit Dominus ad Moyse. De spiritu tuo accipiam, tradamque eis. & 4. Reg. 2. Requeuit spiritus Eliae super Eliseum. ergo Spiritus sanctus non videtur esse proprium nomen alicuius diuinae personae.

Sed contra est, quod dicitur 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in caelo, pater, verbum, & Spiritus sancti. Ut autem August. dicit 7. de Trin. cum quaeritur quid tres? dicimus, tres personae. Ergo Spiritus sanctus est nomen diuinae personae.

Respond. Dicendum, quod cum sint duae processionis in diuinis, altera earum, quae est per modum amoris, non habet proprium nomen, ut supra dictum est. Unde & relationes, quae secundum huiusmodi processionem accipiuntur, innominatae sunt, ut etiam supra dictum est. Propter quod nomen personae hoc modo procedentis, eadem ratione non habet proprium nomen: sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex vsu loquentium ad significandum praedictas relationes, cum nominamus eas nomine processionis, & spirationis, quae secundum proprietatem significationis, magis videntur significare alius notiones quam relationes: ita ad significandum diuinam personam, quae procedit per modum amoris, accommodatum est ex vsu scripturae hoc nomen Spiritus sanctus. Et huius quidem conuenientia ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex ipsa cōmunitate eius, quod dicitur Spiritus sancti. Ut enim Aug. dicit 15. de Trin. Quia Spiritus sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Nam & pater est spiritus, filius est spiritus, & pater est sanctus, & filius est sanctus. Secundo vero ex propria significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis quadam impulsionem & motionem significare videtur. Nam flatum, & ventum, spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. c. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur. Quia igitur persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.

Ad Primum ergo dicendum, quod hoc, quod dico, Spiritus sanctus prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati, quia nomine spiritus significatur immaterialitas diuinae substantiae. Spiritus enim corporeus inuisibilis est, & parum habet de materia. Unde omnibus substantijs immaterialibus, & inuisibilibus hoc nomen attribuitur. Per hoc verò, quod dicitur sanctus, significatur puritas diuinae bonitatis. Si autem accipiat hoc quod dico Spiritus sanctus, in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiae est accommodatum ad significandam vnam trium personarum, scilicet quae procedit per modum amoris ratione iam dicta.

Ad Secundum dicendum, quod licet hoc quod dico, Spiritus sanctus, sit commune toti Trinitati, non est commune alicuius personae. Quia licet nomen spiritus sit commune toti Trinitati, nomen sanctus non est commune toti Trinitati, sed alicuius personae. Quia licet nomen spiritus sit commune toti Trinitati, nomen sanctus non est commune toti Trinitati, sed alicuius personae. Quia licet nomen spiritus sit commune toti Trinitati, nomen sanctus non est commune toti Trinitati, sed alicuius personae.

Declinando ad finem.

Ca. 4. & sequentibus. tom. 5.

2. 27. 4. 4. ad 3.

2. 28. 4. 4.

Li. 5. de tri. c. 1. a. med. c. 1215 c. 9. circa fin. 10. 11. 3.

163.

In cor. 1.

Spiri-